



Q. E. F. F. Q. I. E. D.

DE

SAXIS AEGYPTIIS
COMMENTARIOLI

AD GEN. 47, 24

PARTIC. X. S. VLTIMA

OMNES MV SARVM PATRONOS, FAVTORES
QUA
AMICOS

AD ORATIONEM

DE PRAECLARIS MORIBVS ET LAVDIBVS B. D.
MARTINI LVTHERI, VIRI, DVM VIVERET, VT MELANCH-
THONIS VTAR VERBIS, SVMMA VI INGENII PRAEDITI,
INSTRVCTI DOCTRINA, LONGO VSV EXERCITATI MVL-
TIS EXCELLENTIBVS AC HEROICIS VIRTVTIBVS
ORNATI, AC A DEO AD ECCLESIAE IN-
STAVRATIONEM DELECTI

AB

IO. TOBIA FISCHERO

NOSTRATE

IVVENE THEOLOGIAE STUDIOSO RECTI
RARIQVE EXEMPLI, QUI PARENTVM OBLECTAMENTVM
PROFESSORVM DELICIAE, AMICORVM SPES ET
DESIDERIVM, LITERARVM INDIVIDVVS
COMES RECTE DICATVR

FER. I. PENTECOST. MDCCLXXXVI

HABENDAM

EA QVA DECET OBSERVANTIA

INVITANT

DIRECTOR

ET

RELIQVI PROFESSORES

COBVRGI

EX OFFICINA PRIVILEGIARIA AHLIANA

Iam recentiorum quorundam interpretum sententiae sunt subiungendae, qui vocabulum משכית recte exposuerunt. Kimchi ad Ies. 2, 16, annotauit: "Interpretatio eius figurae, vt Ezech. 8, 12." Abrahamus ben Ezra ad Leu. 26, 1 adscripsit: "Sententia eius est lapis figuratus, eiusdem significationis ac Pl. 73, 7. Ies. 2, 16." Eadem repetiit ad Num. 33, 52 et Ies. 2, 16. Ad Psalm. 73, 7 addidit: "Vocabulum משכית secundum sententiam R. Mosis idem est ac cogitationes, nam שכוי (Hiob. 38, 36) attributum est animi eiusdem, duplici sententia. Altera, vt conuertit Chaldaeus Gen. 31, 49, perinde quasi משכיות essent ideae מראות vt Koh. 1, 16, et significarentur ideae desiderabiles. Aut esset secundum sententiam Leu. 26, 1, figuratum, et figurae essent cogitationes." Ad Prou. 18, 11: "Tanquam murum exaltatum aestimabit diuitias, quae sunt in palatio prospectus sui. Chaldaeus Gen. 19, 28 et 26, 8 ושקה per אסתכי transtulit." Melechides ad Leu. 26, 1 adiecit: Sensu ציור figurae. "Sed sensus eius a significato adspiciendi, nam res figuratas adspiciunt homines. Etiam Chaldaeus מצפה Ies. 21, 8 per סכנתא transfert." Eadem repetiit ad Ezech. 8, 12. Ad Num. 33, 52 et Prou. 25, 11: "Sensus eius figura, et a significato adspiciendi, nam res figuratas adspiciunt homines. Etiam Chald. צפה per סכה transtulit, Gen. 31, 49." Vid. tamen Buxtorf. Lex. Chaldaic. ad סכה p. 1471. Ad Prou. 18, 11: "Interpretatio eius est, quum est in figuris suis, id est, in conclauibus figurarum suarum protegit se, quasi circumdaret ipsum murus exaltatus, et haec est notio formae, et notio eius est a significato adspiciendi, nam res figuratas adspiciunt homines. Sic Chaldaeus מצפה conuertit per סכנתא Ies. 21, 8." Gersonides adscripsit ad Prou. 25, 11: "Postquam monuit (Salomon) fugienda esse verba inhonesta, commendat orationem laudabilem, ac dicit, quemadmodum poma aurea ex thecis argenteis, quae minutis pertusae sunt foraminibus, minutis pellucent spatiosis:

“tiolis: sic in voce commode dicta inest vtilitas, quae primo quidem eius obtutu intelligitur, sed si quis maius studium ad eam, minutis modo spatiosis pellucentem, clarius intelligendam adhibuerit, reperiet in medio eius poma aurea. Tales sunt sententiae multorum segmentorum huius libri, quemadmodum ad illa commentati sumus.” Alb. Schultens Prou. 25, 11 conuertit: *Mala aurea in caelaturis argenteis*. Eques Ill. I. D. Michaelis conuertit Leu. 26, 1: “Steine mit Bilderschrift.” Num. 33, 52: “Steine auf denen Bilder eingegraben sind.”

Sed reliquorum etiam interpretum antiquiorum colligamus opiniones, a recta vocabuli משכית explicacione alienas, vt, instituta diuersarum sententiarum comparacione, vnusquisque eo facilius diiudicare queat, vbi veritas resideat. Chaldaeus Ies. 2, 16, conuertit: ועל כל דשרן בברינתא: *Et super omnes habitantes in palatiis pulcherrimis*. Bibl. Reg. ועל כל ברניית שפרא et apud Kimchium ועל כל ברניית שופרא: *Et super omnia palatia pulchra*. Ezech. 8, 12: *Vnusquisque in cubiculo בית משכביה spondae suae, vbi משכבו pro משכיתו legisse videtur*. Graecus Pl. 73, 7, transfert: Διήλθον ((Ald. Compl. et Theodoret. διήλθοντες) εἰς διάθεσιν καρδίας. *Transseunt ad dispositionem animi*. Prou. 18, 11: ἢ δὲ δόξα αὐτῆς μέγα ἐπισκιάζει, Alex. ἐπισκιάσει. *Gloria eius late obumbrat*. Prou. 25, 11: Μῦλον χειρῶν ἐν σερμίσκω Σαρδίας. *Malum aureum in catella Sarda*. Ezech. 8, 12: ἕκαστος αὐτῶν ἐν τῷ κοιτῶνι τῷ κρυπτῷ αὐτῶν. *Vnusquisque eorum in cubiculo abscondito eorum*. Theodoretus: ἕκαστος ἐν τῷ κοιτῶνι αὐτῶν τῷ κρυπτῷ. *Vnusquisque in cubiculo suo abscondito*. Vulgatus Num. 33, 52 ponit: *Confringite titulos*. Pl. 73, 7: *Transferunt in affectum cordis*. Cod. Sangermanens. *Transferunt in dispositione cordis*. Prou. 25, 11: *Mala aurea in lectis argenteis*. Ezech. 8, 12: *Vnusquisque in abscondito cubiculi sui*. Tertull. adu. Iudaeos cap. 11 p. 321 Vol. II edit. Semler. Ezech. 8, 12 conuertit: *Vnusquisque in cubiculo abscondo*.

Augustin. Locut. 121. 122 teste P. Sabatier: *Omnia idola*. Pl. 73, 7: *Pertransierunt in dispositionem cordis*. Syrus Pl. 73, 7 transfert: *Faciunt secundum תרעיתא cogitationem animi*. Ezech. 8, 12: *Vnusquisque in conclavi suo בסיא obtecto*. Arabs Pl. 73, 7 omittit nostrum vocabulum. Prou. 18, 11 ponit: *Et gloria eius vehementer יגללה magnificet eam*, ubi במשכיתו pro במשכיתו legisse videtur, figuram eius, id est urbis, hoc est, ipsam urbem. Prou. 25, 11: *Sicut pomum aureum in מהנקת catella smaragdina*. Ezech. 8, 12: *In sponda sua אלתמורי abscondita*. Aethiops Pl. 73, 7 transfert: *Et transit אמתעבת prae superbia cor eorum*. Targum Hierosolymit. Leu. 26, 1 transfert ואתן דטען *Lapidem idoli*. Num. 33, 52: *ית כל טעותהון Omnia idola eorum*. Isacides qui perperam radices שכח et שכך inter se confudit, ad Leu. 26, 1 adscripsit: "Significatione tegendi, quemadmodum Exod. 33, 22, nam contegunt solum strato lapidum." In qua praena explicatione quaerenda est causa, cur fabulentur Iudaei, in vlllo alio strato lapidum, praeter illud templi Hierosolymitani, Deum adorare nemini licuisse. Idem Isacides ad Num. 33, 52 addit: "Secundum Chaldaeam aedes adorationis, propterea quod tegebant solum strato lapidum illorum, super quibus se prosternebant expansione manuum et pedum, quemadmodum scriptum est Leu. 26, 1." Ad Ies. 2, 16: "Palatia strata במשכי pauimentis tessellatis, vt Leu. 26, 1, nam iisdem tegunt solum." Ad Ezech. 8, 12: "Conclauē vnumquodque tectum erat pauimento tessellato, eadem significatione ac Exod. 33, 22." Ad Prou. 18, 11: "Diuitiae eius consistent in conclauibus figurarum suarum, propterea quod domus pauitur lithoftrato, quod tegit solum et vocatur vt Leu. 26, 1." Vatablus ad Num. 33, 52 adiecit: "*Omnia spectra*, id est, idola, sic dicta, quod praebeant se visenda, aut spectentur." Schultensius Prou. 18, 11 transfert: "Et tanquam murus celsissimus in eius imaginatione."

Item porro breuiter indicabimus, nostras illorum locorum, in quibus משכית reperitur explicationes, ex quibus clarissi-

clarissime apparebit, vocabulum hoc vbique significare figuram, ac per משכית אבן *saxa Aegyptia*, per הדרי משכית autem *syringas* indicari. Leu. 26, 1: *Neque lapides משכית figurarum* (id est *saxa Aegyptia*) *ponetis in terris vestris*.

Num. 33, 52: *Et perdetis omnes משכיתם figuras* (id est *saxis syringibusque inscriptis*) *eorum*, hoc est Cananaeorum, qui saxa illa syringasque ob commercia, quae iis intercederent cum Aegyptiis, ab his accepissent.

In Psalmo 73, 7 describuntur mores impiorum, qui violentia dolisque malis ad maximam quidem eniterentur felicitatem, quae tamen subito euanesceret. Hos igitur v. 7. sic describit: *Magis lubricus quam adeps est obtutus eorum, dissimulant משכיתם figuris vultus animi sensa*. Lubrica adipis natura satis est nota, cum qua comparantur oculi hominum fallacium et malitiosorum, quos hi passim per cuncta ferre, atque huc illuc voluere, eosdemque saepius retorque ac traicere solent. Iam illud subiungitur, eosdem dissimulare vultu malitiam, et prae se ferre humanitatem ac benevolentiam. Consentientem hic habeo Chaldaeam, qui sic conuertit: *שנא מן שומנא פרצופהון עברו הוטביהון הפורת לבא: Mobilior est adipe obtutus eorum, dissimulant figuris vultus sui ima pectoris*. Io. Buxtorfius quidem in Lex. Chald. p. 738 haec verba sic transfert: "Transferunt decisae cogitationes ipsorum fossam cordis." Et mox addit: "Id est animi decreta et studia vana multiplicia cor ipsorum penitus compleuerunt et operuerunt. Sic in Veneris. In Hebraeo: Transeunt, siue superant cogitationes animi." Satius vero fuisset, si ea sequutus esset, quae paulo ante ex Nathane Iechielide his verbis attulerat: "Baal Aruch in אמר tertio exponit per ציר Effigiare, Figurare, Figuris aliquid exornare, sicut fimbriae vestimentorum filis sericis, variis figuris et coloribus exornari solent. Hinc, מצויירין בטון מצרים, Prou. 7, 16, exponit quoque מצרים בטון מצויירין בהוטי מצרים." Ergo nomine Chaldaico in hoc etiam loco significatur *figurae*, quia vocabu-

cabulum Hebraicum hoc postulat. In Bibliis Regiis et Babylon. reperitur cum variante lectione interpretamentum: **לדודי לביהוקו המו על לביהוקו המו** quod idem Buxtorfius recte sic conuertit: "Transeuntes rugae ipsorum operuerunt tabulas cordis ipsorum." At coniectura, quam adiicit, ex nostra quidem sententia haud est probanda, quam his verbis proponit: "Vnde videtur in Venetis mendose esse **לדודי לביהוקו המו** pro **לדודי המו**." Nomini **לדודי המו** nobis potius **לדודי המו** interpretamentum haud sinistrum esse videtur. Eques Ill. I. D. Michaëlis conuertit: "Aus Fetz geht Vngerechtigkeit heruor, vnd die Gedanken ihres Herzens brechen aus." Atque in notis adscripsit: "Die ungerechte Seele ist gleichsam in jedem Gesichtszuge des gesunden und gemästeten Leibes abgemahlt." Nos haec ita transferenda esse putamus: Ihre Augen sind schlüpfriger als Fetz. Sie verbergen vnter ihren Mienen die Gedanken ihres Herzens.

Prou. 18, 11: *Opes diuitis sunt vrbs eius munita, et quasi murus exaltatus* **במשכיותו** circa figuram eius, id est, circa ipsum diuitem. Chaldaeus et Syrus paraphrasin vltimorum huius segmenti verborum dederunt potius, quam translationem. Ille quidem conuertit: **וכשורה ירום משורה** *Et instar muri alta erit habitatio eius.* Hic autem ponit: **ובשורה עשינא משורה** *Et in muro munito habitatio eius.* Vulgatus autem et Hieronymus mihi consentiunt: *Et quasi murus validus circumdans eum.* Ergo non certo certius est, Chaldaeum, Graecum, Vulgatum et Syrum legisse **משכנו** vt opinatus est b. Vogelius.

Prou. 25, 11: *Poma aurea* **במשכיות** *in caelaturis*, id est, *in patellis caelatis argenteis.* Symmachus et Theodotion originem nominis respexerunt, transferentes: **Ἐν περὶ βλεπτοῖς ἀργυροῖς**, *in splendido argento.*

Ies. 2, 16: *Et super omnes* **שכיות** *figuras desiderabiles.* Graecus originem vocabuli indicaturus conuertit: **καὶ ἐπὶ πᾶσαν θεᾶν**, *et super omne spectaculum nauigiorum pulchrorum.*

rum. Augustinus apud P. Sabatier. sequitur Graecum, transferens: *Et super omne spectaculum nauium decoris.* Francisc. Forerius quidem non male explicat per *ροθύματα*, quibus nos indicari putamus *figurás* in nauigiis insculptas, quorum mentio fit in antecedentibus eiusdem segmenti verbis. In eo tamen errat idem Forerius cum Isaacide, quod verba ככה וךך inter se confundit, atque eiusdem esse significatus opinatur. Quamuis enim in multis aliis exemplis illa permutatio verborum quiescentium tertia et geminantium secundam literam linguis orientalibus admodum sit familiaris: ista tamen verba huius generis sunt excipienda, quae in diuersa illa qualitate diuersas etiam habent significationes.

Ezech. 8, 7 - 12 Syringes illae, siue cauernae tenebrosae, in quarum parietibus multa ferarum genera et animalium species innumerae erant insculptae satis clare describuntur: *Iehouah duxit me per portam atrii, et circumspexi, et ecce foramen quoddam in pariete. Atque edixit mihi, heus tu, perfode quaeso parietem, et perfodiebam parietem et ecce ianna quaedam. Atque edixit mihi, intra et adspice scelera detestabilia, quae illi hic committunt. Tum intraui et circumspexi, et ecce omnes figurae reptilium et bestiarum abominandarum omniumque idolorum Israëlitarum insensitae erant in pariete circumcirca. Et septuaginta viri ex senioribus Israëliticis, quibus intererat Iezonias, filius Saphanis, stabant coram illis, quorum unusquisque suum tenebat thuribulum, ut crassior nubes suffitus glomeraretur. Et quaesuit ex me, heus tu, num vidisti, quae seniores Israëlitarum committunt in tenebris, singuli in suis syringibus? Num cogitant cum animo suo, Iehouah nos non animaduertit, reliquit Iehouah terras.*

Illud igitur satis certum est, Israëlitis generatim atque in primis Leuitis, tanquam hominibus literatis, interdictum esse a Deo saxis syringibus figurarum, omnique adeo disciplina hieroglyphica. Causam cur hoc factum sit, supra partic. VIII, p. 2 iam tetigi. Etenim nolebat Moses, vt Leuitae, qui literis studebant, artes disciplinasque, easque in figuris quibusdam abditas et occultas, sibi et suis retinerent fraudibus, sed eas potius cum ciuibus suis communicarent, iisdemque vtilitatem inuarent publicam. Quot enim quantaque fraudes hodie etiam fieri possent rebus naturalibus, verbi causa, igne electrico, si eius vis et rationes paruo tantum hominum eorumque fraudulentorum notae essent numero? Nonne artibus illis arcanis male abuti, et quoscunque haberent inimicos, eos vel fulmine percellere possent? Quaecumque autem scirent aut detegerent in rebus physicis sacerdotes Aegyptii, ea sibi retinebant, vt iisdem, si qua daretur occasio, fraudulenter ac dolose abuti, hominibusque

basque plebeis magnam sui iniicere possent admirationem. Haec res omnem Aegyptiorum gentem reddidit infamem, quae propterea a Romanis etiam vana, ventosa, fallax, semperque alia cogitans, alia simulans, iniuriosa ac furibunda diceretur. Vid. Hirt. B. Alex. 24, et Vopisc. Saturnin. c. 7.

Voluit ergo Moses et per eundem Deus, ut omissa disciplina hieroglyphica, literis afflatu diuino recens repertis vterentur Leuitae, atque iisdem reliquos erudirent Israëlitae. Quemadmodum enim literae illae Hebraicae repertae erant promulgationis diuinae causa, sic necesse fuit, ut ars legendi illas literas, iisdemque scribendi, quam primum et quam citissime fieri posset, cum reliquo populo Iudaico communicaretur. Quodsi singulis tantum hominibus demandatum esset officium, literas hasce perdiscendi aliosque docendi, periculum fuisset, ne omnis illa ars scribendi a Mose inuenta aliquando periret, ut omnis fere hieroglyphica illa Aegyptiorum disciplina hodie ignoratur. Omnibus igitur Mosis tribulibus, id est, magno hominum numero id muneris iniungebatur, ut non tantum promulgationis diuinae libros saepius atque accuratius describerent, ne vnaquam exemplum codicis sacri deesset, sed omni etiam studio elaborarent, ut omnes reliqui Iudaei arte literas Hebraicas legendi scribendique imbuerentur. Quis autem ignorat, omnia noua instituta habere aliquam difficultatem, animumque humanum ita comparatum esse, ut veterum fere morum consuetudine teneatur? Quid ergo magis erat necessarium, quam ut omni priuarentur facultate veterem illum Aegyptiorum scribendi morem, disciplinamque hieroglyphicam reuocandi, atque ut faxis Aegyptiorum eorundemque Iyringibus Israëlitis interdiceretur.

Sed quodnam idoneum erat tempus, quod sufficeret tanto Israëlitarum populo erudiendo? Nullum vero aliud, si a septimo quoque singularum hebdomadam die discesseris, supererat tempus, quo Israëlitae homines agriculturae dediti, literis illis recens repertis caeterisque bonis artibus ac disciplinis imbui possent, nisi illud anni cuiusque septimi, quod sapientissimo Dei consilio studiis illis reseruaretur. Nequaquam igitur per integros annos septimos perpetua segnitie torpebant Israëlitae, sed otium honestum agricolarum nationi a Deo concessum partim consumebant legibus diuinis cognoscendis, quibus omnes lites omniaque sua dirimerentur ac regerentur negotia, partim aliis artibus addiscendis. illa in primis scribendi, porro illa computandi, agros dimetiendi, aedificandi, metalla effodiendi, conlandi et cudendi, medendi, aliisque. Quodsi his artibus addas illam quaestuosissimam ab Equite III. Michaelis commemoratam mercandi scientiam, cum illa pascendi et fortasse venandi, omnes sane fatebuntur, annum septimum haud ignobilem desiderantemque segnitie, sed honestissimum potius otium ac dignissimum non agros sed animos doctrina diuina et humana, literis, bonis artibus disciplinisque excolendi studium esse appellandum.

Ms. 1297

ULB Halle

3

003 006 867




f

SB







Q. E. F. F. F. Q. I. E. D
DE
SAXIS AEGYPTIIS
COMMENTARIOLI

AD GEN. 47, 24
PARTIC. X. S. VLTIMA
QVA
OMNES MVSARVM PATRONOS, FAVTORES
AMICOS

AD ORATIONEM
DE PRAECLARIS MORIBVS ET LAVDIBVS B. D.
MARTINI LVTHERI, VIRI, DVM VIVERET, VT MELANCH-
THONIS VTAR VERBIS, SVMMA VI INGENII PRAEDITI,
INSTRUCTI DOCTRINA, LONGO VSV EXERCITATI MVL-
TIS EXCELLENTIBVS AC HEROICIS VIRTVTIBVS
ORNATI, AC A DEO AD ECCLESIAE IN-
STAVRATIONEM DELECTI

AB
IO. TOBIA FISCHERO
NOSTRATE
IVVENE THEOLOGIAE STUDIOSO RECTI
RARIQVE EXEMPLI, QVI PARENTVM OBLECTAMENTVM
PROFESSORVM DELICIAE, AMICORVM SPES ET
DESIDERIVM, LITERARVM INDIVIDVVS
COMES RECTE DICATVR

FER. I. PENTECOST. MDCCLXXVI

HABENDAM
EA QVA DECET OBSERVANTIA

INVITANT
DIRECTOR
ET
RELIQVI PROFESSORES

COBVRGI
EX OFFICINA PRIVILEGIARIA AHLIANA